Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25885
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Quod quia scriptum est in quarto pendente senten
tia subauditur mense. statim enim sequitur: in
quinta mensis. quod ut manifestius fieret. supra
addidere lxx.
Cum essem in medio captiuorum iuxta flu
uium chobar: aperti sunt celi et uidi uisiones
dei in quinta mensis. ipse est annus quintus transmi
grationis regis ioachim. Captiuum sedisse
populum super flumina babylonis. dauid prophe
tat in spiritu. Super flumina babylonis illic
sedimus et fleuimus. Chobar autem aut nomen
est fluminis. aut certe iuxta interpreta
tionem suam. qua in grauem uertitur. tygrin
significat et eufraten. et omnia magna et
grauissima flumina. que in terra chalde
orum esse perhibentur. apertosque celos non diuisi
one firmamenti. sed fide credentis intellige.
eo quod celestia sint illi reserata mysteria. Unde
et in baptismate saluatoris quando spiritus sanctus in
specie columbe descendit super eum. apertos
celos legimus. Quibus reseratis panduntur uisio
nes dei. non una uisio. sed plures. dicente
domino per prophetam. Ego uisiones multiplicaui.
et in manibus prophetarum assimilatus sum. Iste sunt
uisiones. quas omnis ezechielis prophetia con
texuit. Significanterque iuxta hebreos et ce
teros interpretes transmigratio dicitur ioachin. et non
captiuitas. quam lxx. transtulerunt. Non enim captus
urbe superata. sed uoluntate se tradens ductus
est babylonem. Ergo ioachin id est iechonie dicatur
prima transmigratio. sedechie autem secunda
uel extrema captiuitas.
Et factum est uerbum domini ad ezechiel filium
buzi sacerdotem. in terra chaldeorum secus flumen
chobar: Et danieli et ezechieli qui in baby
lone erant iuxta flumina futurorum sacra
menta panduntur. super aquas. immo in aquis
purissimis. ut baptismatis potentia mon
straretur. Alioquin et apostolus paulus quando ab anania
lotus in domino est. tegentibus prius oculos eius
squamis caruit cecitate. Et in genesi si

prima que uiuerent de aquis egressa sunt. illud
quoque intellegendum quod in tricesimo etatis sue an
no dominus ad baptisma uenerit. In quarto mense
qui apud nos uocatur ianuarius. et est primus in anni ex
ordio. preter nysam mensem nouorum in quo pascha
celebratur. Apud orientales enim populos post collec
tionem frugum et torcularia quando decime defe
rebantur in templum. october erat primus mensis.
et ianuarius quartus. Quintam autem diem mensis adiungit.
ut significet baptisma in quo aperti sunt christo celi.
et epyphaniorum dies usque huc uenerabilis est.
non ut quidam putant natalis in carne. Tunc enim
absconditus est et non apparuit. quod huic tempori
congruit. quando dictum est. Hic est filius meus
dilectus. in quo mihi complacui. Porro buzi in lin
guam nostram uertitur spretus atque contemptus.
ezechiel roboratus a deo. quod sic domino coaptabitur.
ut dicamus creatorem mundi qui pater est salua
toris ab omnibus hereticis sperni atque contempni.
qui uetus non recipiunt testamentum. Nec mirum
robustum dei esse dominum. cum ipse sit dei uirtus
deique sapientia.
Et facta est super eum ibi manus domini. lxx. Et fac
ta est super me manus domini. Ut cernere uisiones dei
et intellegere possimus. manu et fortitudine
dei super nos opus est. in qua manu et brachio
eductus est populus israel de egypto. cuius fortitu
dinis partem etiam magi intellexerunt dicentes.
Digitus dei est. Et saluator in euangelio. Si ego in
digito dei eicio demonia. pro quo in altero
euangelio scriptum est. si ego in spiritu dei eicio demo
Et uidi. et ecce uentus turbinis nia
ueniebat ab aquilone. et nubes magna.
et ignis inuoluens. et splendor in circuitu eius.
LXX. Et uidi. et ecce spiritus auferens. siue attol
lens ueniebat ab aquilone. et nubes magna
in eo. et ignis micans. et splendor in circuitu
eius. In consolatione populi transmigrationis et reue
lationem sententie dei. propheta uidit maximam
uisionem. in cuius interpretationem omnis syna
goge iudeorum mute sunt. ultra hominem esse